

**VII MARTII.
DE SANCTIS MARTYRIBVS AFRIS
PERPETVA, FELICITATE, SATVRO,
SATVRNINO, REVOCATO, SECVNDOLO,
CARTHAGINE AVT TVBVRBI,
VITA**

Ex MS. Casinensi eruta a Luca Holstenio.

PRÆFATIO.

[1] Si vetera fidei exempla, & Dei gratiam testificantia & ædificationem hominis operantia, propterea a in litteris sunt digesta, vt lectione eorum quasi repensitatione rerum, & Deus honoretur & homo confortetur; cur non & noua documenta æque vtrique causæ conuenientia digerantur? vel quia & hæc vetera futura quandoque sunt & necessaria posteris, si in præsentis suo tempore minori deputantur auctoritati, propter præsumptam venerationem antiquitatis. [Noua scribenda, posteris antiqua futura.] Sed viderint, qui vnam virtutem Spiritus vnus sancti pro ætatibus iudicent temporum: cum maiora reputanda sint nouitiora quæque, vt nouissimiora, secundum exuperationem gratiæ in vltima seculi spatia decreta. In nouissimis enim diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij filiæque eorum, & super seruos & ancillas meas de meo Spiritu effundam: & iuvenes visiones videbunt, & senes somnia somniabunt. [Ioel. 2, 28.] [Act. 2, 17.] Itaque & nos, qui sicut prophetias, ita & visiones nouas pariter repromissas & agnoscimus & honoramus; ceterasque virtutes Spiritus sancti ad instrumentum Ecclesiæ deputamus, cui & missus est idem

omnia e donatiua administrans in omnibus, prout vniciue distribuit Dominus, necessario & digerimus & ad gloriam Dei lectione celebramus, vt ne qua aut imbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum æstimet gratiam diuinitatis conuersatam, siue in Martyrum, siue in reuelationum dignatione: cum semper Deus operetur quæ repromisit non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium. Et nos itaque, quod audiuimus & contrectauimus, annuntiamus & vobis, [scripta ad oculatos testes.] fratres & filioli: vt & vos, qui interfuistis, rememoremini gloriæ Domini: & qui nunc cognoscitis per auditum, communionem habeatis cum sanctis Martyribus; & per illos cum Domino Iesu Christo: cui est claritas & honor in secula seculorum. Amen.

Annotata

[Nouissimiora.] Ita phrasi Africana extremiora & extremissima dixit Tertullianus, postremissimum & nouissimo extremum Apuleius, & minimissimum Arnobius.

[Instrumentum.] Ita Instrumentum sustinendi patientia, Instrumentum pudicitiae, grauitas, continentia ad instrumentum æternitatis, diaboli iniquitas ad instrumentum persecutionis dicitur apud Tertullianum.

[Donatiua.] Donatiua, Charismata dicimus: vt, meliorum donatiuorum sectatores simus. Donatium Dei vita æterna. Idem Tertullianus.

[Dignatio.] Dignatio pro gratia, quam Deus conferre dignatur Cyprianus: Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, & Corona de Dei dignatione descendit. Qua aliaque ipsis locis citatis allegat Holstenius.

CAPVT I.

Sanctorum captiuitas.

Perpetuæ baptismus, in carcerem detrusio.

Visio prima.

[2] Apprehensi sunt adolescentes a catechumini Reuocatus & Felicitas Conserua eius, [Capti SS. Reuocatus, Felicitas, Secundulus, Perpetua:] & Secundulus. Inter hos & Vbia Perpetua honesta liberaliter instituta, matrona licet nupta; habens patrem & matrem, & fratres duos, alterum æque catechuminum, & filium infantem ad vbera. Erat autem ipsa circiter annorum viginti duo. Hæc ordinem totum martyrij sui iam hinc ipsa narrabit, [hæc scripsit res gestas:] sicut conscriptum manu sua & suo sensu reliquit.

[3] Cum adhuc, inquit, cum persecutoribus essem, & me pater euertere cupiret, & deiicere pro sua affectione perseueraret; Pater, inquit, vides, verbi gratia, vas hoc iacens, vrceolum siue aliud? Et dixit: Video. [S. Perpetua patrem vincit.] Et ego dixi ei: Numquid alio nomine vocari potest? Et ait: Non. Sic & ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum, Christiana. Tunc pater motus hoc verbo, mittit se in me, vt oculos mihi erueret: sed vexauit tantum, & profecto est victus cum argumentis diaboli. Tunc paucis diebus quod caruissem patre, Domino gratias egi, & refrigerauit absentia illius. In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus: [cum alijs baptizatur:] & mihi Spiritus dictauit, non aliud petendum ab aqua nisi sufferentiam carnis.

[4] Post paucos dies recipimur in carcerem: & expaui, quia numquam experta eram tales tenebras. [detruditur in tetrum carcerem,] O diem asperum! æstu valido, turbarum beneficio, concussura militum, nouissime macerabar solitudine infantis. Ibi tunc Tertius & Pomponius benedicti Diaconi, qui nobis ministrabant,

constituerunt praemio, vt paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremur. Tunc exeuntes de carcere vniuersi sibi vacabant. Ego infantem lactabam iam inedia defectum, sollicita pro eo adloquebar matrem, [sollicita de infante:] & confortabam fratrem, commendabam filium: tabescebam ideo quod illos tabescere videram mei beneficio. Tales sollicitudines multis diebus passa sum, & vsurpauit vt mecum infans in carcere maneret, & statim conualui; & releuata sum a labore & solitudine infantis: & factus est mihi carcer subito praetorium; vt ibi mallet esse quam alicubi.

[5] Tunc dixit mihi frater meus: Domina soror, iam in magna dignatione es; tanta, vt postulem visionem, & ostendatur tibi an passio sit an commeatus. Et ego quae me sciebam fabulari cum Domino, cuius beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei, [ex visione sibi facta,] dicens: Crastina die tibi renuntiabo. Et postulauit, & ostensum est mihi hoc. Video scalam mirae magnitudinis, pertingentem vsque ad caelum & angustam, [scalae in caelum erectae,] per quam non nisi singuli ascendere possent: & in lateribus scalae omne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladij, lanceae, hami, macherae: vt si quis negligenter, aut non sursum attendens ascenderet, laniaretur, & carnes eius inhærerent ferramentis. Et erat sub ipsa scala draco cubans mirae magnitudinis, qui ascendentibus insidias praestabat, & exterrebat ne ascenderent. Ascendit autem Sator prior, qui postea se propter nos vltro tradiderat, & tunc cum adducti sumus, praesens non fuerat: & peruenit in caput scalae, [& ascensio S. Satoris & sui,] & conuertit se, & dixit mihi. Perpetua, sustineo te: sed vide ne te mordeat draco ille. Et dixi ego: Non me nocebit in nomine Domini Iesu Christi, & de sub ipsa scala, quasi timens me, lente eiecit caput: & quasi primum gradum calcarem, i calcaui illi caput. Et ascendi, & vidi spatium horti immensum, & in medio sedentem hominem canum, in habitu pastoris, grandem,

oues mulgentem: & circumstantes candidati millia multa. Et leuauit caput, & aspexit me, & dixit mihi: Bene venisti Ite non. Et clamauit me, & de caseo, quod mulgebat, dedit mihi m quasi buccellam. & ego accepi iunctis manibus, [& buccellæ oblataæ] & manducaui: & vniuersi circumstantes dixerunt, Amen. Et ad sonum experrecta sum commanducans nescio quid. Et retuli statim fratri meo, & intelleximus passionem esse futuram: & cœpimus nullam iam spem in seculo habere. [intelligit martyrium.]

Annotata

Catechuminum pro Catechumeno æuo illo scribi solitum arbitratur Holstenius, vti mox cupiret pro cuperet.

In Vita S. Simeonis Stylitæ 5 Ianuarij Antonius cap. 6 cum signum Crucis fecisset, continuo diabolus cum argumento suo euauit.

Id est, a baptismo petijt gratiam martyrij, tolerantiam passionis, patientiam in carne & corpore. Multa similia adfert Holstenius.

Apud Cyprianum epist II. Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consilijs suis & scripturarum præceptis gubernant.

[Commeatus.] Commeatus, facultas discendendi atque eundi ab libitum. Ita Cyprianus epist. 9 Martyrio siue victoriæ consummationis commeatum opponit, & epist. 52 ait commeatum a Deo dari, quando pax a persecutoribus datur.

S Augustinus serm. 1 de SS. Perpetua & Felicitate ista scribit: Calcatus est draco pede casto & victore vestigio, [Draconis caput calcatur.] cum erectæ demonstrarentur scalæ, per quas B. Perpetua iret ad Deum. Ita caput

serpentis antiqui, quod fuit præcipitium fæminæ cadendi, gradus factus est ascendendi. & tractatu de Tempore barbarico cap. 5. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad cor suum intus admisit. Illam seduxit falsa promittendo: illas non valuit superare sæuiendo. Illam decepit in paradisi felicitate: has non potuit adire, nec substantiarum deposita potestate. Illius inter paradisi delicias ruinam gauisus est, harum inter pœnas fortitudinis constantiam ipse quodammodo diabolus expauit.

Hanc Euangelicam speciem pastoris pro Christo & ouium pro fidelibus exprimunt antiquissimæ imagines, [Christus sub specie pastoris mulgentis oves:] in Roma subterranea expositæ, & hæc ipsa forma pastoris oves mulgentis expressa est libro 2 & cap. 8 secundum Italicam editionem Antonij Bosij, at cap. 10 apud Paullum Aringum, qui eam multo auctius Latine vulgavit: & Tertullianus de Pudicitia cap. 7 ista habet: A parabolis licebit incipias, vbi est ovis perdita a Domino requisita, & humeris eius reuecta: procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius &c.

[Buccella lactis.] S. Augustinus in dicto tractatu de Tempore barbarico: Perpetua lactabat: sed tamdiu lactauit, quamdiu acciperet ab illo pastore simul & patre buccellam lactis: qua accepta, dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non inhærere mundo, perdere animam pro Christo.

Vnde id intellexerint, erudite explicat Possinus noster: Existimo, inquit, inde quod in visione adumbratus erga Perpetuam ritus fuerat Eucharistiæ ministrandæ: quæ cum notissimo tunc vsu dari soleret ijs, quos certum erat breui morituros, recte id Perpetua & ipsius Frater ita interpretati sunt, [Ritus Eucharistiæ ministrandæ] vt

significatam eo viso Confessorum mox secuturam necem arbitrarentur. Ritus perceptionis Eucharistiæ eo adumbratus cernitur, quod quasi buccella Perpetuæ porrigitur, quod eam ipsa accipit iunctis manibus, quod deinde comedit, circumstantibus Amen acclamantibus. quæ omnia in Eucharistiæ olim ministracione solita seruari, [in procinctu martyrij.] notius est e plurium antiquorum testimonijs, & Sancti præsertim Ambrosij, quam vt demonstrari pluribus opus sit. Certe de vsu Africanarum Ecclesiarum peculiariter constat solitas eas Eucharistiam ministrare Confessoribus in martyrij procinctu constitutis: idque ita necessarium arbitratas esse, vt inde argumentum sumpserint scribendi ad Cornelium Rom. Pontificem, manu quidem & calamo S. Cypriani, nomine autem aliorum quoque septem & triginta Episcoporum Africanorum, vt æqui consuleret gratiam fieri legis prius sancitæ de non admittendis vnquam ad Ecclesiæ & Eucharistiæ communionem ijs, qui semel in persecutione lapsi fuissent: quoniam tunc ex ijs multi in pœnitentium numero scripti, a nouis persecutoribus periclitarentur, &, vt res se habebant, breui pro Christi confessione interficiendi viderentur: quibus in procinctu agonis positis denegari consuetum viaticum Corporis Christi nimis erat inhumanum. Ex hac Epistola, quæ secunda libri 1. apud Cyprianum est, quædam adscribam, ad fidem rei quam tractamus faciendam, opportuna: Sed cum, inquiunt, videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, & crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, vt ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & paratissimi; plebem etiam nobis diuina dignatione commissam exhortationibus nostris præparemus, & omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, & prælium flagitant, intra castra Domini colligamus: necessitate cogente censuimus, eis, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem

dandam esse, & eos ad prælium quod imminet, armari & instrui oportere. Et paullo post: At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viuentibus communicatio a nobis danda est, vt quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus: sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus? Siquidem, vt aliquanto post additur: Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.

CAPVT II.

**Constantia S. Perpetuæ a patre oppugnatae,
Confessio fidei, condemnatio.
Liberatio Dinocratis e purgatorio
in visione ostensa.**

[6] Post paucos dies rumor cucurrit vt audiremur. Superuenit autem & de ciuitate a pater meus, consumptus tædio: ascendit ad me vt me deiiceret, dicens: Miserere filia canis meis, miserere patri: si dignus sum a te pater vocari: si his te manibus ad hunc florem ætatis prouexi: [Oppugnatur a patre.] si te præposui omnibus fratribus tuis; ne me dederis in dedecus hominum: aspice fratres tuos, aspice matrem tuam & materteram, aspice filium tuum, qui post te viuere non poterit: depone animos, ne vniuersos nos extermines: nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. Hæc dicebat pater pro sua pietate, basians mihi manus, & se ad pedes meos

iactans: & lacrymis me non filiam nominabat, sed Dominam: & ego dolebam caussam patris mei, quod solus de passione mea gauisurus non esset de toto genere meo: & confortavi eum, dicens: Hoc fiet in illa catasta quod Deus voluerit, [confortat eum:] scito enim nos non in nostra potestate esse constitutos, sed in Dei. Et recessit a me contristatus.

[7] Alio die cum pranderemus, subito rapti sumus vt audiremur: & peruenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit, & factus est populus immensus. Ascendimus in catastata, interrogati ceteri, confessi sunt. Ventum est & ad me, [cum aliis ad tribunal ducta,] & apparuit pater illico cum filio meo, & extraxit me de gradu, supplicans: Miserere infanti. Et Hilarianus procurator, qui tunc loco Proconsulis Minuci Timiniani defuncti ius gladij acceperat, Parce, inquit, canis Patris tui, parce infantiae pueri: fac sacrum pro salute Imperatorum. Et ego respondi: Non facio. Hilarianus, [confitetur se Christianam.] Christiana es? inquit. Et ego respondi: Christiana sum. Et cum staret pater ad me deiiciendam, iussus est ab Hilariano deiici: & virga percussit, & doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuisset percussa: sic dolui pro senecta eius misera. [damnatur ad bestias:] Tunc nos vniuersos pronuntiat, & damnat ad bestias, & hilares descendimus ad carcerem. Tunc quia consueuerat a me infans mammas accipere, & mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium Diaconum, postulans infantem. Sed pater dare noluit: & quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desiderat, neque mihi feruorem fecerunt, ne solitudine infantis & dolore mammarum macerarer.

[8] Post dies paucos dum vniuersi oramus, subito media oratione profecta est mihi vox, & nominaui Dinocratem: & obstupui quod numquam mihi in mentem venisset nisi tunc: [orat pro fratre Dinocrate mortuo,] & dolui

commemorata casus eius, & cognoui me statim dignam esse, & pro eo petere debere. Et cœpi de ipso orationem facere multum, & ingemiscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte ostensum est mihi hoc. Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, vbi & complura erant loca tenebrosa, æstuantem valde & sitientem, sordido vultu & colore pallido: & vulnus in facie eius, quod cum moreretur habuit. Hic Dinocrates fuerat frater meus carnalis annorum septem: qui per infirmitatem facie cancerata male obiit, [intelligit affligi in purgatorio.] ita vt mors eius odio fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem feceram: & inter me & illum grande erat diadema: ita vt vterque ad inuicem accedere non possemus. Erat deinde, vbi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri, & extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod & piscina illa aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, & cognoui fratrem meum laborare; sed fidebam me profuturam labori eius, & orabam pro eo, quousque transiuimus in carcerem castrensem: munere enim castrensi eramus pugnaturi (natale tunc Getæ Cæsaris) & feci pro illo orationem die & nocte, & lacrymans, vt mihi donaretur.

[9] Die quo in neruo mansimus ostensum est mihi hoc. Video locum illum, quem retro videram, & Dinocratem mundo corpore bene vestitum refrigerantem: [& inde liberatum.] & vbi erat vulnus, video cicatricem, & piscinam illam, quam retro videram, summisso margine vsque ad umbilicum pueri: & aquam de ea trahebat sine cessatione, & super margine fiala aurea plena aqua. Et accessit Dinocrates, & de ea bibere cœpit: quæ fiala non deficiebat, & satiatus abscessit de aqua ludere more infantium gaudens, & experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna.

Annotata

S. Augustinus in Psal. 47 de caritate Martyrum agit, & inter alia ait: Quam multos filios parentes prohibebant mori, sicut nouimus & legimus in passione B. Perpetuæ. Sed lacrymæ quantælibet & quantolibet impetu fluerent, quomodo ardorem caritatis extinguerent.

S. Augustinus sermone 2 de his Sanctis: S. Perpetua tanta patri moderatione respondit, vt nec præceptum violaret, quo debetur honor parentibus, nec dolis cederet, quibus altior agebat inimicus.

[Catasta.]Catasta locus editior, in quo serui venales, aut rei iudicandi aut torquendi exponebantur, vti pulpitem in ecclesia locus erat eminentior. Hinc S. Cyprianus epist. 33 laudat Lectorem, qui ad pulpitem venerat post catastam, in qua Christum fuerat confessus, & S. Romanus Martyr apud Prudentium.

**Audite cuncti, clamo longe ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.**

Tertullianus in Apologetico cap. 10 hoc solum Christianorum delictum esse obijcit: [sacra pro Imperatobus.] Deos, inquit, non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis: itaque sacrilegij & maiestatis rei conuenimur. Summa hæc caussa, imo tota est.

S. Augustinus serm 2 citato: Doluit illa; Perpetua, senis parentis iniuriam, [compassio S. Perpetuæ.] & cui non præbuit assensum, seruauit affectum. Oderat quippe in illo stultitiam, non naturam; & eius infidelitatem, non originem suam. Maiore igitur gloria tam dilectum patrem male suadentem fortiter repulit, quem vapulantem videre

sine mœrore non potuit. Proinde & dolor ille nihil retraxit robori fortitudinis & aliquid addidit laudibus passionis.

Quatuor extraditione Ecclesiastica, infimus vbi dæmones & animæ damnatæ; tum purgatorium, in quo Dinocrates fuit, dein limbus puerorum, qui in solo peccato originali mortui sunt, denique Limbus Patrum seu sinus Abrahæ, ex quo omnes a Christo liberati.

Christianum fuisse vel inde colligimus, quia S. Perpetua supra dixit: quod solus pater de sua passione gauisurus non esset de toto genere suo.

[septennis in purgatorio.] S. Augustinus lib. 1 de Anima & eius origine cap. 10 de Dinocrate agens, ait: illius ætatis pueros & mentiri & verum loqui, confiteri & negare iam posse. & lib. 3 cap. 9 ista habet: Dinocrates septennis puer, in quibus annis pueri cum baptizantur, iam symbolum reddunt, & pro se ipsi ad interrogata respondent, cur non tibi visus fuerit baptizatus, potuisse ab impio patre ad Gentilium sacrilegia reuocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus Sorore orante liberatus est. Quibus innuit aliquam noxam potuisse attrahere, ob quam ad maius tempus puniendus erat, nisi precibus fuisset adiutus.

Cancerata, siue cancri morbo infecta. Ita Lucifer Calaritanus ad Constantium Imperatorem libro de non conveniendo cum hæreticis ait: Nec poteris, te non Arii cancerasse sermonem, [Cancerata facies.] cum fœtor cancerationis tuæ ad omnem peruenerit regni tui locum, & cuncti te vitare statuerimus, ne & ipsi peste tua Ariana canceraremur.

[Diadema] Grande diadema, siue grandis limbus, spatium oblongum alicuius latitudinis, in Euangelio Lucæ 16. v. 26

appellatur magnum chaos. Consule Notas Possini. Forte legendum hic diastema.

Ita Ruffinus Munerum dies vertit, quos dixit Eusebius lib. 5 Histor. Eccl. cap. 1 vbi de illustribus Martyribus Galliae agit. Certe voce muneris significabatur pugna, [Munerum dies.] vel gladiatorum inter se vel bestiarum cum reis morti addictis, & ea spectacula exhibebantur in castris ad delectandos milites, muneris siue beneficij gratia.

Fiala, Græcis, passim, vti debet scribitur phiala. Holstenius seruauit scriptionem codicis MS.

CAPVT III.

Noua oppugnatio S. Perpetuæ a patre facta.

Visio eius III.

[10] Deinde post dies paucos Pudens miles, optio præpositus carceris, qui nos magni faciebat, cœpit intelligere magnam virtutem esse in nobis: qui multos ad nos admittebat, vt & nos & illi inuicem refrigeraremus. Vt autem proximauit dies muneris, [A patre noua molestia afficitur:] intrat ad me pater meus consumptus tædio, & cœpit barbam suam euellere, & in terram mittere, & prosternere se in faciem, & impropere annis suis, & dicere tanta verba, quæ mouerent vniuersam creaturam. Ego dolebam pro infelici senecta eius.

[11] Pridie quam pugnaremus, video in horomate hoc: Venisse Pomponium Diaconum ad ostium carceris, & pulsare vehementer: & exiui ad eum, & aperui ei: qui erat vestitus discinctam candidam, habens multiplices calliculas. Et dixit mihi: Perpetua, te expectamus, veni. Et tenuit mihi manum, [in visione abducta ad luctam] & cœpimus ire per aspera loca & flexuosa. Vix tandem peruenimus anhelantes ad amphitheatrum, & induxit me in media arena: & dixit mihi: Noli pauere, hic sum tecum,

& conlaboro tecum, & abijt. Et adspicio populum ingentem attonitum: & quia sciebam me ad bestias datam esse, mirabar quod non mitterentur mihi bestiae. Et exiuit quidam contra me Ægyptius; fœdus specie, cum adiutoribus suis, pugnaturus mecum. [contra Æthiopem,] Veniunt & ad me adolescentes decori, adiutores & fautores mei: & expoliata sum, & facta sum masculus. Et cœperunt me fautores mei oleo defrigere, quomodo solent in agonem, & illum contra Ægyptium video in afa volutantem. Et exiuit vir quidam miræ magnitudinis, vt etiam excederet fastigium amphitheatri, discinctatus purpuram inter duos clauos per medium pectus, habens calliculas multiformes ex auro & argento factas, efferens virgam quasi lanista, & ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petijt silentium, & dixit: Hic Ægyptius si hanc vicerit, [proposito præmio,] occidet illum gladio: & si hunc vicerit, accipiet ramum istum & recessit. Et accessimus ad inuicem, [pugnauit,] & cœpimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere volebat: ego autem illi calcibus faciem caedebam: & sublata sum in aëre, & cœpi eum sic cædere terram concalcans. At vbi vidi moram fieri, iunxi manus, vt digitos in digitos mitterem: & apprehendi illi caput, & cecidit in faciem & calcaui illi caput. [vicit,] Et cœpit populus clamare, & fautores mei psallere. Et accessi ad lanistam, & accepi ramum. Et osculatus est me, & dixit mihi: [& præmium accepit.] Filia, pax tecum. & cœpi ire cum gloria ad portam Sanauariam. Et experrecta sum, & intellexi me non ad bestias, sed contra diabolum esse pugnaturam: sed sciebam mihi esse victoriam. Hoc vsque in pridie muneris egi: ipsius autem muneris actum, si quis voluerit, scribat.

Annotata

S. Ambrosius in caput 4 epistolæ ad Ephesios scribit, Paulum & Silam tempus non distulisse, [Optio carceris.] quo Optionem carceris baptizarent, pro quo Græci Actor.

16 v. 27, habent, vt vox Præpositi hic videatur abundare aut explicandi gratia adiuncta. Interim videtur Optio quasi inspector dici ab video: qui sub oculis habeat ingredientes egredientesq; in carcerem.

Imo horamate, Græce visionem significat. Legimus in MSS horama, [Horama.] orama & oroma, vt alias monuimus. Consule Onomasticon ad Ianuarium.

Albam inter veste, sacras appellamus, nisi stola candida intelligatur.

Calliculæ infra ex auro & argento factæ. In veteri Glossario Galliculæ [Calliculæ.] quod rotundæ & volubiles. Huius generis in veteri Lege erant tintinnabula & malogranata in extrema ora vestis Summi Sacerdotis.

Augustinus serm. 2 de his Sanctis, B. Perpetua, inquit, sibi de seipsa reuelatum esse narravit: virum se factam certasse cum diabolo. Illo quippe certamine in virum perfectum ipsa currebat, [lucta contra Æthiopem.] in mensuram ætatis plenitudinis Christi. At lib. 4 de Anima & eius origine cap. 18, S. Perpetua, ait, visa sibi est in somnis cum quodam Ægyptio in virum conuersa luctari... quando anima eius in illa virilis corporis similitudine luctabatur.

Afa, Apha, seu potius Hapha, Græce: & notatur puluis, quo pugiles certaturi post vnctionem inspergebantur: [Afa puluis.] & sic illa voce vsus est Martialis lib. 7 in Philænin; aut in eo humi iacente se volutabant.

Id est, veste discincta indutus: in MS. tamen videtur hic, distinctatus, & supra, alba distincta, legi: vt forte intelligi debeat vestis alba purpureis tæniis distincta, & ea indutus, distinctatus vocetur.

Tertullianus de fuga in persecutione: A quo certamen edicitur, nisi a quo corona & præmium proponuntur.

[Sanauiuaria porta.]

Porta Sanauiuaria, per quam sani & viui foro & vrbi reddebantur, & contra porta mortualis, per quam mortua corpora aut horum partes extrahebantur.

CAPVT IV. Visio S. Saturi.

[12] Sed & Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit: Passi, inquit, eramus, & exiuimus de carne, [S. Satyrus in visione sibi facta & S. Perpetua] & cœpimus ferri a quatuor Angelis in orientem, quorum manus nos non tangebant. Ibamus autem non supini sursum versi, sed quasi mollem cliuum ascendentes: & liberato primo mundo vidimus lucem immensam & dixi Perpetuæ: (erat enim hæc in latere meo) Hoc est quod nobis Dominus promittebat: [ab Angelis in lucem magnam portati,] percepimus promissionem. Et dum gestamur ab ipsis quatuor Angelis, factum est nobis spatium grande: quod tale fuit quasi viridarium, arbores habens rosæ, & omne genus flores. Altitudo arborum erat in modum cypressi, quarum folia cadebant sine cessatione. Ibi autem in viridario alij quatuor Angeli fuerunt clariores ceteris: qui vbi viderunt nos, honorem nobis dederunt, & dixerunt ceteris Angelis: Ecce sunt, ecce sunt: cum admiratione. Et expauescentes quatuor illi Angeli, qui gestabant nos, deposuerunt nos: & pedibus nostris transiuimus stadium via lata; vbi inuenimus iocundum, [vident Martyres:] & Saturninum, & Artaxium, qui eadem persecutione viui arserunt; & Quintum, qui & ipse Martyr in carcere exierat. & quærebat de illis vbi essent. Ceteri Angeli dixerunt nobis: Venite prius, introite, & salutate Dominum.

[13] Et venimus prope locum, cuius loci parietes tales erant quasi de luce ædificati: & ante ostium loci illius quatuor Angeli stabant, qui introeuntes vestierunt stolas candidas. [ducti ad thronum Dei,] Et introiuimus, & audiuimus vocem vnitam dicentem; Agios, agios, agios, sine cessatione. Et vidimus in eodem loco sedentem quasi hominem canum, niveos habentem capillos, & vultu iuuenili, cuius pedes non vidimus: & in dextra & in sinistra seniores quatuor, & post illos ceteri seniores complures stabant. Et introëuntes cum admiratione stetimus ante thronum. & quatuor Angeli subleuauerunt nos: & osculati sumus illum, [osculo excipiuntur,] & de manu sua traiecit nobis in faciem. Et ceteri seniores dixerunt nobis: Stemus: & stetimus, & pacem fecimus. Et dixerunt nobis seniores: Ite & ludite. Et dixi Perpetuæ: Habes quod vis. Et dixit mihi: Deo gratias, vt quomodo in carne hilaris fui, hilarior sum & hic modo.

[14] Et exiuimus, & vidimus ante fores Optatum Episcopum ad dexteram, & Aspasium Presbyterum Doctorem ad sinistram, separatos & tristes, [Optatum Episcopum & Aspasium Presbyterum dissentientes conciliant.] & miserunt se ad pedes nobis, & dixerunt: Componite inter nos, quia existis, & sic nos reliquistis. Et diximus illis: Non tu es Papa noster, & tu Presbyter; vt vos ad pedes nobis mittatis? Et moti sumus, & complexi illos sumus. Et cœpit Perpetua cum illis loqui: & segregauimus eos in viridarium sub arbore rosæ. Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis Angeli: Sinite illos, refrigerent: & si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis inuicem, & conturbauerunt eos. Et dixerunt Optato: Corrige plebem tuam: quia sic ad te conueniunt quasi de circo redeuntes, & defatigationibus certantes. Et sic nobis visum est, quasi vellent claudere portas. Et cœpimus illic multos fratres cognoscere, sed & Martyras. Vniuersi odore inenarrabili alebatur, qui nos satiabat. Tunc gaudens experrectus sum.

Annotata

Possinus mauult legi liberati, id est, postquam e crassiore aëre sphæræ sublunaris emersissent, vidisse lucem &c.

Illos quatuor hoc die celebrat antiquum Martyrologium S. Hieronymi.

Possinus vult substitui proturbauerunt, hoc est longe submouerunt.

Martyres scilicet, quos ante desiderarant videre. Tertullianus libro de anima cap. 55. Perpetua, inquit, fortissima Martyr, sub die passionis in reuelatione Paradisi solos illic Commartyres suos vidit.

CAPVT V.

**Mors S. Secundoli in carcere. Partus S. Felicitatis.
Gesta omnium pridie martyrij.**

[15] Hæ visiones insigniores ipsorum Martyrum beatissimorum Satori & Perpetuæ, quas ipsi conscripserunt. [S. Secundulus in carcere moritur.] Secundulum vero Deus maturiore exitu de seculo adhuc in carcere euocauit: non sine gratia, vt bestias lucraretur; a gladium tamen etsi non anima, certe caro eius agnouit.

[16] Circa Felicitatem vero & illi gratia Domini eiusmodi contigit. [S. Felicitas grauida] Cum octo iam menses suum ventrem haberet, (nam prægnans fuerat apprehensa) instante spectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur: quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari: & ne inter alios postea sceleratos sanctum & innocentem sanguinem funderet. Sed & Commartyres grauiter contristabantur, ne tam bonam sociam quasi comitem solam in via eiusdem spei relinquerent. [fuis precibus] Coniuncto itaque vnito gemitu ad Dominum

orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores inuaserunt. Et cum pro naturali difficultate octauis mensis in partu laborans doleret, [octauo mense parit cum dolore:] ait illi quidam ex ministris cataractariorum: Quæ modo doles, quid facies obiecta bestijs; quas contempsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: Modo ego patior quod patior: illic autem alius erit in me, qui patietur pro me; quia & ego pro illo passura sum. Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit.

[17] Quoniam ergo permisit, & permittendo voluit Spiritus sanctus ordinem ipsius muneris conscribi, etsi indigni ad supplementum tantæ gloriæ describendum, tamen quasi mandatum sanctissimæ Perpetuæ, imo fidei commissum eius exequimur, vnum adiicientes documentum de ipsius constantia & animi sublimitate. Cum a Tribuno castigatus eo tractarentur, quia ex admonitionibus hominum vanissimorum verebatur, [inuictus animus S. Perpetuæ] ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis; in faciem ei respondit: Quid vtique non permittis refrigerare noxijs nobilissimis Cæsaris scilicet, & natali eiusdem pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiore illo producamur? Horruit & erubuit Tribunus; & ita iussit illos manibus inhiberi, vt fratribus eius & ceteris facultas fieret introëundi, & refrigerandi cum eis; tamen ipso optione carceris credente.

[18] Pridie quoque cum illa cœna, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam sed agapen cœnarent, eadem constantia ad populum verba ista iactabant, comminantes iudicium Domini, contestantes passioni suæ felicitatem, [& S. Saturi.] irritantes concurrentium curiositatem, dicente Saturo: Crastinus satis vobis non est, quod libenter videtis quod odistis: hodie amici, cras inimici: notate tamen nobis facies nostras diligenter, vt recognoscatis nos in die illo. Ita

omnes inde attoniti discedebant, ex quibus multi crediderunt.

Annotata

Holstenius arbitratur verba ita collocari debere: Gladium tamen etsi non caro, certe anima eius agnouit: vt Lucae 2 de Deipara Virgine dicitur: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et sic cum aliis Martyr habetur.

Plutarchus de sera Numinis vindicta, asserit antiquissimam Ægyptiorum legem fuisse, vt prægnans, si mortis fuerit damnata, asseruetur donec pariat. Quam legem obseruarunt etiam Græci & Latini.

Præclare S. Augustinus serm. 2. sæpius citato. Editus est partus immaturo mense maturus. Actum est diuinitus, vt non suo tempore onus vteri poneretur, ne suo tempore honor martyrij differretur. Actum est, inquam, diuinitus, vt indebito die fætus ederetur, dum tamen tanto comitatu debita Felicitas redderetur &c.

[Cataractarij.] Cataractarij, custodes ad portam excubantes: nam cataractarum inter alia significata, vsum antiquum indicat Lilius his verbis: Porta, cataracta deiecta, clausa erat: eam partim vectibus leuant, partim funibus subducunt in tantum altitudinis, vt recte subire possint.

S. Augustinus loco citato: In parturiendo fæmineam conditionem fæmineam voce testata est. Non aberat Euæ pœna, sed aderat Mariæ gratia. Exigebatur quod mulier debebat: opitulabatur quem Virgo pepererat.

Videtur Scriptori a se conscripta dedisse, quæ ita concluderat: Ipsius autem muneris actum si quis voluerit scribat: An ergo Pomponius Diaconus aut socius eius Titus,

aut Rusticus Catechumenus, auctor censi posset, non audemus coniectare.

Hoc est, inquit Holstenius; Tribuno ægre permittente cibos inferri, diarijs solito tenuioribus pascerentur: vtique præter morem. Sic Tertulliano, Castigatio victus, ieiunium aut cibus parcior dicitur.

Noxijs, id est, morti destinatis.

Hiberi pro cohiberi. Dubitat Holstenius an Africa tunc ita loquebatur.

Ita infra cum in amphitheatrum inducti essent, populus exasperatus eos flagellis vexari postulauit.

CAPVT VI Peracta in martyrio.

[19] Illuxit dies victoriæ illorum, & processerunt de carcere in amphitheatrum quasi in cælum hilares, [Educuntur hilares maxime Perpetua] vultu decori; si forte, gaudio pauentes, non timore. Sequebatur Perpetua lucido incessu, vt matrona Christi, vt Dei delicata: vigore oculorum deiiciens omnium conspectum. item Felicitas saluam se peperisse gaudens, vt ad bestias pugnaret a sanguine, [& Felicitas: omnes abnuunt vestes profanas:] ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. Et cum ducti essent in portam, & cogentur habitum induere, viri quidem a sacerdotum Saturni fæminæ vero sacratarum Cereri, generosa illa in finem vsque constantia repugnauit. Dicebat enim: Ideo ad hoc sponte peruenimus, ne libertas nostra obduceretur: ideo anima nostram addiximus, ne tale aliquid faceremus: hoc vobiscum pacti sumus. Agnouit iniustitia iustitiam: concessit Tribunus, quomodo erant simpliciter inducerentur. Psallebat caput iam Ægyptij calcans.

Reuocatus, & Saturninus, & Satorus populo spectanti comminabantur de hoc. Vt sub conspectu Hilariani peruenerunt, [flagellantur:] gestu & nutu cœperunt Hilariano dicere: Tu nos, inquit; te autem Deus. Ad hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulauit. Et vtique gratulati sunt, quod aliquid & de e dominicis passionibus essent consecuti.

[20] Sed qui dixerat: Petite, & accipietis, petentibus dederat eum exitum, quem quisque desiderauerat. [Ioan. 16, 24.] Nam si quando inter se de martyrij sui voto sermocinabantur, Saturninus quidem omnibus bestijs velle se obijci profitebatur; [anhelant ad bestias:] vt scilicet gloriosiore gestaret coronam. Itaque in commissione spectaculi, [obiiciuntur:] Reuocatus leopardo expertus, etiam super pulpitem ab vrsu erat vexatus. Satorus autem nihil magis quam vrsu abominabatur: sed vno morsu leopardi confici se iam præsumebat. Itaque cum apro subministraretur, [S. Satorus bis illæsus.] venator potius, qui illum apro subligauerat, subfossus ab eadem bestia, post dies muneris obijt. Satorus solummodo tractus est, & cum ad vrsu substrictus esset in ponte, vrsu de cauea prodire noluit. Itaque secundo Satorus inlæsus reuocatur.

[21] Puellis autem ferocissimam vaccam, ideoque præter consuetudinem comparatam, [Deijciuntur SS. Perpetua & Felicitas,] diabolus præparauit: sexui earum etiam de bestia æmulatus. Itaque dispoliatæ & reticulis indutæ producebantur. Horruit populus alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recentem stillantibus mammis. Ita reuocatæ & discinctis indutæ, prior Perpetua iactata est: & concidit in lumbos, & vbi sedit, tunicam a latere discissam ad velamentum femoris reduxit; pudoris potius memor quam doloris. Dehinc requisita & dispersos capillos infibulauit, non enim decebat Martyrem sparsis capillis pati; ne in sua gloria plangere videretur. Ita

surrexit, & elisam Felicitatem cum vidisset, accessit & manum ei tradidit, & suscitauit illam. Et ambæ pariter steterunt: & populi duritia deuicta, [reuocantur in portam Saneuiuariam:] reuocatæ sunt in portam Saneuiuariam. Illic Perpetua a quodam nunc catechumino, Rustico nomine, qui ei adhærebat, suscepta & quasi a somno expergita (adeo in Spiritu & in extasi fuerat) circumspicere cœpit; & instupentibus omnibus ait: Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescio. Et cum audisset quod iam euenerat, non prius credit, nisi quasdam notas vexationis in corpore habitu suo recognouisset, & illum catechuminum. Exinde accersitum fratrem suum & illum catechuminum allocuta est, dicens: In fide state, & inuicem omnes diligite, & passionibus nostris ne scandalizemini.

[22] Item Satorius in alia porta militem exhortabatur, dicens: Ad summam, inquit, certe sicut præsumpsi & prædixi, nullam vsque adhuc bestiam sensi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, & ab vno morsu leopardi consumor. Et statim in fine spectaculi leopardo eiecto, [S. Satorius a leopardo læsus,] de vno morsu tanto perfusus est sanguine, vt populus reuerenti illi secundi baptismatis testimonium reclamauerit: Saluum lotum, Saluum lotum. Plane vtique saluus erat, qui hoc modo lauerat. Tunc Pudenti militi: Vade, inquit, [militem adhortatur:] & memor esto fidei meæ, & hæc te non conturbent, sed confirment. Simulque ansulam de digito eius petijt, & vulneri suo mersam reddidit ei: hæreditatem pignoris relinquens illi, & memoriam sanguinis. Exinde iam exanimis prosternitur cum ceteris ad iugulationem solito loco. Et cum populus illos in medio postularet, vt gladio penetranti in eorum corpore oculos suos comites homicidij adiungeret, [se inuicem osculantur] vltro surrexerunt, & se quo volebat populus transtulerunt: ante iam osculati inuicem, vt martyrium per solennia pacis consummarent. Ceteri quidem immobiles & cum silentio

ferrum receperunt: [& gladio occidūtur.] multo magis Satorius, qui & prior ascenderat, prior reddidit spiritum, nam & Perpetuam sustinebat. Perpetua autem vt aliquid doloris gustaret, inter ossa compuncta exululauit; & errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in iugulum suum transtulit. Fortasse tanta fæmina aliter non potuisset occidi, quia ab immundo spiritu timebatur, nisi ipsa voluisset.

[23] O Fortissimi ac beatissimi martyres! O vere vocati & electi in gloria Domini nostri Iesu Christi! quam qui magnificat, & honorificat, & adorat, vtique & hæc non minus veteribus exempla in ædificatione Ecclesiæ legere debet, vt nouæ quoque virtutes vnum & eundem semper Spiritum sanctum vsque adhuc operari testificentur; & omnipotentem Deum Patrem, & Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum: cui est claritas & immensa potestas in secula seculorum. Amen.

Annotata

Ergo offerebatur illis pallium coccineum, quam vestem Sacerdotum Saturni proprium fuisse tradit Tertullianus, imo infantes penes Africam Saturno immolatos palam vsque ad Proconsulatum Tiberij, quibus noxij videntur substituti.

Vt vitta redimitæ deberent incedere.

Obduceretur pro offuscaretur, obscuraretur, aut violaretur &c.

A venatoribus scilicet, qui longa serie adstabant flagellis instructi.

Quia Christum fuisse flagellatum sciebant.

Ita S. Blandina apud Eusebium lib. 5 cap. 1 in rete inuoluta, tauro obiecta est.

S. Augustinus serm. 1 de his Sanctis: Vbi erat illa fœmina, quando ad asperrimam vaccam se pugnare non sensit, & quando futurum esset, quod iam fuerat, inquisiuit? &c. Scilicet, vt ante dixerat, ipse ei exhibebat spirituales delicias, ne sentiret corporales molestias, quantum non defectioni sed exercitationi sufficeret.

Acclamatio populi petulanter illudentis. Christianis sacris. Cum enim vulgo notum esset Christianos existimare saluos fieri homines per baptismum; populus e theatro spectans Christianum sanguine perfusum, saluum eum proclamabat, qui sic lotus esset. Ita Possinus.

SERMO S. AVGVSTINI

Ex MS. Vaticano erutus ab Holstenio.

Dvæ gemmæ hodie in Ecclesia refulserunt, & vna claritas: quia Perpetua & Felicitas, vna solennitas. Nec potest dubitari de felicitate, quæ perpetuam possidet dignitatem. Iunxit illas carceris custodia, iunxit & gratia: quia non est in eis vlla discordia. Simul cantant in carcere, simul Christo obuiam veniunt in aëre; simul pugnant ad vaccam, simul intrabunt in patriam sempiternam: simul martyrium gerebant; vna lactabat, altera pariebat. Perpetua dicebat, cum traderet infantem, & amoueret lactentem: Quis nos separabit a caritate Christi? Felicitas de partu gemitus dabat, & post comites suos intrepida festinabat; & gemendo liberata quid Christo dicebat? Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificium laudis. Et beatus David ad eius gemitum consolandum dicebat: Det tibi Dominus secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. [Ps. 19, 5] O fragilitas! tenebræ fugiebant, & humana conditio non transibat. Sed qui mortem vicit, & illam a

partus periculo liberavit, & Perpetuam a lactis pondere subleuauit. Cum enim scalæ illius gradus ascenderent, & draconis insidiosa colla calcarent, venerunt ad viridarium cælestium pratorum, & inuenerunt illic Pastorem bonum animam suam ponentem pro ouibus suis, & lactis succum quærentem a gregibus suis: Nam sedebat, inquit, Pastor iuuenis & senex: viridis ætate, canus capite, qui non nouit senectutem. Iuuenis in illo vultus micabat; quia idem ipse est, & anni eius non deficient: capite canescebat, quia iustus dominus iustitiam diligebat, æquitatem agnoscebat in Martyribus. In circuitu eius oves inclinatæ cubabant, ipse eas digito pastoralis mulgebat, in quibus inueniebat lactis copiam, & fœcundam pietatis conscientiam. Mulgebat digitis, & alloquebatur paternis solatijs, præmijs cæstibus præparatis, dicens: Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi. Et ostendit illis lactis a alvea puro corde spumantia per lucidam eleëmosynam, & dicit: Esuriui, & dedisti mihi manducare: sitiui, & potastis me. Accepit Perpetua a dulci pastore lac nouum, antequam funderet sanguinem pretiosum. Responderunt: Amen, & cæperunt petere pietatem. Orabant in carcere, securæ iam de pastore: Domine, inquiunt, non sit arida Confessio nostra, vt & nos mereamur tuis pretiosis gregibus sociari, & a tuis Martyribus non separari. Proponitur eis in visione palæstra, in amphitheatro arena pomposa: adest ille Ægyptius, qui fuit in cælo lucifer speciosus: ipse pugnaturus volutatur in puluere; & Perpetua, triumphatura Domino Salvatore, adiunxit manus in Crucem: habens ante se Dominicum iuuenem defensorem, accipit triumphum de victoria, & ramum consequitur de corona. Offeramus illi & nos munera nostra: alij eis in tempore offerebant visitationes carceris, nos offeramus illis votum solennitatis, vt regnare mereamur cum omnibus Sanctis.